

Month-



L 36/9 n 37

F^a

S. A.

Le - H - 44

2794







Fig. L

Volo verso



S. A.

ORBIS COSMOGRAPHICUS,

SIVE

GLOBUS MUNDI

Mathematicè descriptus,

&

In publica concertatione

PRÆSIDE

P. JOANNE KÖNIG
SOC. JESU

Sacræ Linguæ, Ethicæ, & Mathema-
ticæ Professore Ordinario

IN ALMA CATHOLICA ET
EPISCOPALI UNIVERSITATE
DILINGANA

Propugnatus

A PERORNATIS ET PFRDOCTIS D.D.

FRANC. JULIANO THOMA

DILINGANO SUEVO,

ET JOANN. BAPTISTA GERER

HÖCHSTETTENSI NEOPALATINO

Philosophiæ Moralis, Naturalis, & Ma-
thematicæ Studiofis

Mense Augusto. Anno M. DC. LXXVI.

Cum facultate Superiorum

DILINGÆ

Typis JOANNIS CASPARI BENARD,
Bibliopolæ Acad.

Per JOANNEM MICHAELEM SPÖRLIN.



Reverendissimo, Perillustri, & Amplissimo

S. R. I. PRÆLATO

DOMINO DOMINO

DIONYSIO

Libero Baroni de Rehlingen, &

Haldenberg &c.

Ex Immediatis S. R. Imperii statibus
Antiquissimi, & Nobilissimi Collegii Ca-
nonicorum Regularium Ord. S. Aug. ad Beatif-
simam Virginem in Wettenhausen Dei
gratiâ Abbatij dignissimo.

Nec non

Per Sueviam & Bojariam ejusdem SS. Ca-
nonico-Apostolici Ordinis Visitatori Vi-
gilantissimo.

*Admodum Reverendo Religiosissimo &
spectabili Domino*

FRIDERICO VOGELIO

Imperialis & Celeberrimi Collegij
Wettenhusani

DECANO MERITISSIMO.

*Admodum Reverendo Religiosissimo &
Clarissimo Domino*

AUGUSTINO ERATH

SS. Theol. in eod. Imp. Colleg. Professori.

*Ceterisque Admodum Reverendis &
Religiosissimis Dominis*

C A N O N I C I S

D.D. suis gratiofis, atque observandissimis.

Quod Soli propinquibus usu-
venit, ut reverberato locis ful-
gore perstrieti ab accessu tam
verendi & luminosi corporis arcean-
tur, id meritò nobis contigerit, sub-
euntibus conspectum tuum *Reverendissime, Perillustris, & Amplissime Domine.*
Verùm, quod iis usus & necessitas sug-
gescit, id & nobis in arena occurrit
consilium. Nempe solent illi, ut oculi
consulant, Solis candorem & ima-
ginem in aquis repercutsum intueri,
aut certè vitri beneficio, & crystalli
traluentis interpositu vibrantem tan-
ti luminis splendorem temperare. Nos
Sphæram opponimus crystallinam,
deponimusque ad pedes tuos, *Antistes*
Amplissime & Reverendissime, eam, quam
excogitavit Anaximander, portavit
Athlas; sustinuit Hercules, depinxit
Milesius, effinxit Archimedes, recepit
artium mater omnium Mathematica,

):

cælo-

Cælorum Idæam, Mundi fabricam, suppellectilem Universi. Hanc è crystallo olim elaboravit antiquitas, finxitque ejus spectaculo Jovem ipsum & arrisſſe blandientem, & admirabundum stupiſſe, teste Claud.

Jupiter in paruo cùm cerneret æthera vitro, risit &c.

Hujus igitur objectu crystalli tuum petimus obtutum, Præsul virtutum omnium meritis illustratissime. Per hanc blando & innoxio lumine te Sollem contuebimur. Hæc excitabit risum tibi, hoc est, indulgentissimæ Humanitatis tuae benevolum annutum, quo probabis clementer ingenium & studium hoc novum Clientum tuorum. Obstupesces autem, & admiraberis tuae radios lucis, tuarum de cora virtutum (quæ sola tua modestia occulta credebat) ignotis etiam patere, & inclarescere. Sed habet hoc

vir-

Virtus astris sublimior, ut non tam oculos latè perstringat quàm & animos in sui amorem cultumque potenter rapiat universos. Nam quemadmodum, qui mira audiunt, exardescunt in eorum præsentiam, videréque volunt, quæ auribus usurparunt, ita nos tui famâ nominis pellesti etiam coram intueri gestimus, quæ tanto animorum nostrorum motu de te celebrari accepimus. Sunt autem ea tam rara, tam excellentia, tam numero & multitudine magna, ut intra pagellæ hujus angustias concludi non patiantur. Quarè tria solummodo ex innumeris delibabimus; nimirum *Pietatem tuam religiosissimam*, *Doctrinam divinarum, humanarumque rerum omnigenam*, ac *Politicam domi forisque, civilemque prudentiam & facultatem mirificam*. Prior te ad Infusam meritissimum extulit altera, ad Cathedram,

postrema ad Curiam Imperialem. Pri-
ma te fecit Patrem tuorum, & Archi-
mandritam reverendissimum, poste-
rior Doctorem & Magistrum clarissi-
mum, ultima denique Rectorem Im-
perialis Collegij & Praefulem dignis-
simum. *Pietas* ore tuo exscribitur,
vultu expingitur, habitu & morum
omnium conformatio[n]e loquitur vi &
efficaciâ tam potenti, ut, qui Te non
videat, intelligat agnoscâtque in sola
tui imagine & ideis spirantem : hoc
est, in vultu tuorum alumnorum, in
conversatione, in castigatissimâ mo-
rum omnium disciplinâ. *Doctrina* in-
genio tuo comprehensa velut flumen
exuberans hoc peculiare habet, ut sui
beneficâ diffusione inundet & fæcun-
det auditores suos. Loquantur, qui tua
hæc flumina biberunt, quotquot per
annos 16. (quos docendæ Scolasticæ
Theologiæ impendisti) tuo eruditî
sunt

sunt magisterio, tuâ expositi discipli-
nâ, tuo cultu & labore instituti. *Oe-*
conomiam denique tuam, regimen sa-
crum & familiare, ita moderatus es,
ut à liberali Naturæ & Gratiae genio
raris ad id dotibus instructus esse videa-
ris. Tu Imperialis tui Collegii Wet-
tenhusani non Instaurator modò, sed
& Amplificator es magnificus. Tu bo-
norum & jurium antiquorum non De-
fensor tantùm & Vindex, sed Auctor
novorum es, & Molitor, ut tuo sub re-
gimine & subditis agri, & agris cultu-
ra, & culturæ fructus, & fructibus
ubertas, ac loco denique & ditioni tuæ
omni beatitas successerit. Tu ædificii
antiquissimi non Reparator duntaxat
& servatores, sed Architecto novi,
Fundatörque, atque ejus quidem Basi-
licæ, tum ornatæ, tam splendidæ, tam
illustris, ut digna suo Auctore, aut
non surgere alio, aut eam non aliis

etigere videatur debuisse: *Saxa loquen-*
tur, si nos tacuerimus. Nam, si serva-
to uno cive Romanis olim statua po-
nebatur, quot tibi Columnæ & obeli-
sci, quot honoris monumenta à tuis
statuentur, quorum ut consuleres for-
tunæ, opibus, vitæ & incolumentati,
plusquam trecentas domos à funda-
mentis erexisti. Dignum igitur no-
mentuum tantâ famæ celebritate, di-
gnum mitrâ caput, dignæ pedo ma-
nus, & illo quem adjecit Augustissi-
mus Leopoldus Imperator, gladio im-
periali. Vos verò *admodum Reveren-*
di, Religiosissimi, & clarissimi Domini Ca-
nonici, dignissimi tanti Parentis filii,
tanti Magistri discipuli, tanti Præsidis
& Moderatoris Senatores candidati.
Vos admittite Clientes nos vestrosa, d-
mittite munus, quod adferimus, gra-
tum utique votis vestris, & dignum
etiam meritis; nam Sphæram Mundi
utrius-

utriusque, & Universi Orbem offerimus. Et nunquid alteri, quam *Dio-*
ysisio, hoc est, Sphæram Astrologo,
Mundum Philosopho, Orbein Divi-
nitatis Symbolum Theologo eximio,
Universi denique doctam supellec-
tlem sapientissimis tanti Magistri secta-
toribus alumnis, velut instrumentum
proprium & familiare demississimâ ve-
neratione dedicamus. Accipite ergo,
& acceptate clementer oblatum mu-
nus, & offerentes vestrâ benevolentâ
dignamini.

Reverendiss.^{mæ} & Perillustris
Amplitudinis Tuæ, nec non Ad.
modum RR. Relig. & Clariss.
DD. VV.

Clientes infimi

Franc. Julianus Thomas.
&
Joannes Baptista Gerer.

PRÆLOGIUM.

Tame si Sphæram, seu Mundi orbicularē circumferentiam nemo verius & magis genuinè expinxerit, quām ipsa uniuscuiusque pupilla ocularis, recte tamen & ex usu veterum astronomorum eius exemplum & similitudo etiam materiali quadam fabrica repræsentatur à Mathematicis. Estque hæc non aliud, quām globosus ille complexus mobilium armillarum, quem Sphæram communiter appellamus. Huius ergo rudent & novitiam delineationem daturi, carbone solumodò notabimus potiora globi linea menta. Nam, quia magnam partem hæc tractatio Cosmographiam universam spectat, quæ vasto evolenda essent volumine, non nisi pugno contrahemus, ut manu scilicet ducamus tyronem astronomicum, per vestigia locupletium auctorum summatim collecta ad cœlestis huius scientiæ adyta penitiora.

PRÆLIBAMENTA

Pomo similem Mundum expresserunt veteres Germani, Græci pupillæ oculari, Ægyptii ovi vitello, quæ omnia cùm Sphæricam figuram referant, conformati omnino videntur tum apparentiæ visuali, tum, quæ

quæ ex ea petitur, rationi probabili, atque etiam auctoritati Scripturæ; nam Ecc. 24. divina sapientia se *gyrum* coeli solam perambulasse facet. Et quamvis globositas hæc cœli convexa iquidò nec textu, nec demonstratione certâ evincatur, est tamen vel ficta ejus expressio, id est globus instrumentalis, quo de agimus, adeò necessaria, ut nec forma cœlestium corporum, nec moles, nec motus haberi possit absque cylometricâ aliquâ dimensione. Quarè primi Cœsimographi Cœlum Terramque humani etiam Capitis configurationi similem repræsentarunt, ut ex nasi puncto digitum circumducerent in peripheriam, exprimerentque in circulo digitali & Mundi majoris simul & minoris idealem perfectionem. Est autem

Cœsimographia tractatio de Sphæra cœlesti & elementari adeoque, si latè sumatur, est scientia composita ex Astronomia & Geographia.

Astronomia est scientia phýlico-mathematica de cœlestium Corporum quantitate determinata, & eorum accidentia sensibilia terminante. Subalternatur Physicæ; quia cœlorum ac sydum affectiones naturales considerat; Mathematicæ, quia easdem considerat ut certâ terminatos quantitate.


Geographia est ars dimentiendi orbem & superficiem terræ habitatam & habitabilem. Respectu marium & insularum *Hydrographia* vocatur, respectu regionum *Chorographia*, *Topographia* respectu locorum particularium.


Arithmetica est ars numerandi seu de quantitate discreta, quemadmodum de continua agit

Geometria, sive de magnitudine corporeâ, abstrahendo ab ejus à subjecto. Hinc paradoxum illud: *quantitas Geometrica ubique est, & nullib. ubique quia*, ubi corpus, ibi quantitas, nullib., quia si consideratur à Geometria, ac si nulli corpori cohæreret.

Musica quatenus sonum spectat Harmonicum Mathematica disciplina est, quæ dissimilium vocum & consonantium intervalla, proportiones, & diversitates considerat.

Optica est scientia de visibilitate per radios & umbras terminatâ, quæ quemadmodum & reliquæ scientiæ in plures subdividitur species, quales sunt Dioptrica, Catoptrica &c. ad quas etiam reduci potest sciographica, quæ non tantum colores attollit, distinguítque partes luminosas ab inumbratis, sed & mensura corporum est; nam per umbram deprehendimus altitudinem montium, turrium & vallorum, imo & Solis ipsius & Lunæ; uti vides in fig. 6. & 7. ubi umbra bacilli erecti commensuratur & proportionatur umbræ à vallo projectæ, si bacilli umbra sit 15. pedum, in quales 10. divisus est bacillus, in totidem partes æquales dividenda sit umbra valli, scilicet in 15. & talium partium 10. erit altitudo valli. Sed de his Geodætæ. Ceterum





MATHEMATICARVM DISCIPLINARUM

L A U S

Summa in usu est, sive eum spectes, quem Geometer capit, sive quem Astronomus, si quidem Terram ille, hic Cœlum casso labore consideraverit, si fine uterque excidat suo, qui solo positus est in usu & aquisitione. Nam Terram moverit aliquis cum Archimede! at extra sphœram, ubi nequit consistere. Cœlum vero cum Platone contueatur cominus? si non intraverit, referet, quod patitur, exilium. Finis ergo aspectabilis Universi creati, cum sit cœlorum possessio, nemo non videt à Mathematica viam quandam, immo vehiculum suppeditari jucundissimum, ut, quod metimur, quod legimus oculis, manu etiam prendamus, ac felici tandem tencamus possessione: id quod usuvenit adiuturis regna incognita, qui prius in charta legunt, quam subeunt regionem, atque sic tenui ex graphide, imo ex punctis colligunt spatia, fistus, partes, urbes portus, flumina & totam regionalem œconomiam, ut facili compendio non tantum certius & citius deducantur in cupita, sed & suavius & solidius ea complectantur.

O R I G O

Et incunabula Mathematicæ ea sunt, ut priorem se non agnoscat, nulli secunda; nam Mundo coœva cum primo mortali Rege & parente nata est, facta autem universal' eluvione emersit

eum Noachi tabulis altior: neque deinceps nisi Herculeis consedit humeris; ut post Abramum, qui eam velut dotem collocavit Assyrii interruptâ ferè serie vel discipulos haberet reges Athlantes, vel bajulos. Mitto Græcos, Arabes, Æthiopas & Romanos. Certè ætatibus subsequentibus nostræque prioribus eò se extulit cœlestis hujus disciplinæ gloria, ut non humeris duntaxat recentium Astronomorum sed oculis planè jam propior admota sit, recteque canat & veridicè Venusinus; Auruspices hos Uranometras cœlum, sideraque ingenio supposuisse suo. Veturum, si cui nimium dixisse videamur, temperare id poterunt (quod non diffitemur) notæ, & criminaciones complures, quibus etiam à PP. perstringitur hæc scientia; ut Tertulliano exclamare licuerit *Italiam interdici Mathematicis, sicut angelis cœlum*. At non cadunt hæc censuræ in disciplinam nobilissimam, sed in spuriam illam & fatalem Genethliacorum curiositatem, quæ id commune habet cum Mathematica, quod scoria cum auro probato. Quod si verò

ETYMON

Spectetur Matheſeos, denotat hæc suomet nomine *disciplinam*, quasi ad omne vitæ rationem honestam & componendum animum nulla scientiarum perinde foret accommodata & idonea, atq; illa; ut Plato existimat eâ prius imbui animas ipsas, quam corpus informarent. Præterea, ut ut nulla facultas nomen mereatur scientiæ, nisi quæ sit eximia ab errore, suiq; usu certifica & infallibilis; quæ nam hac in virtute Mathematicæ præpol-

pollebit: quām in omni ferè suo ratiocinio principiis per se notis philosophetur, evincatque hoc so, quod intulit. Sunt autem triplicis generis

PRINCIPIA

Mathematicorum. *Definitiones* videlicet, *postulata* & *axiomata* priora vocat Proclus *Hypotheses*, quibus artis termini, & nomenclationes expounduntur, nē nominum ambiguitate circumventi umbram feriamus obortis controversiis. Petitiones seu *postulata* sunt, quæ sui notione, certâ in scientiâ adeò sunt conspicua, ut confirmatione non egeant, quemadmodum hoc ipsum etiam præstant *axiomata* universim & in omni scientia, ut sine formidine rapiant assensum, si ritè terminos perceperis. Atque de his loquitur principiis Arist. in Met. à ianuâ quis aberrabit? Id quod maximè locum habet in Elementis Geom. quæ tradidit Euclides, ut bipatenti per hæc ostio subcas ad omnigenum penetralia scientiarum.

NATURA


Matheseos ex objecto desumitur, quod aliud non est nisi *quantum*, seu ratio mensuræ & proportionis, quæ ut plurimum sine, quandoque etiam cum respectu ad materiam considerabilis est, atque tunc sifit in contemplatione & mensurazione vel partium Orbis terræ, & *Geographia*, vocatur, vel marium, *Hydrographia*, vel ponderum, *Statica*, vel colorum, & radiorum, *Optica*. Quamvis Mathematicæ universim spectatæ primigeniæ partes rectius dicantur: *Arithmetica*, *Geometria*, *Astronomia* & *Musica*, atque hæc


PARTITIO

Est ex mente Platonis, Arist. Boetii & aliorum, qui Mathematicarum disciplinarum omnium hanc quadrigam statuunt, qua facultates illæ cunctæ inveniantur, quæ unam respiciunt quantitatem. Quemadmodum enim hæc si continua est vel ut mobilis spectatur, vel ut immobilis. Si discreta, vel absolutè talis est, vel comparativè: Ita Mathesis, si quantitatem respiciat continuam & magnitudinem mobilem, *Astronomia* fuerit. Si immobilem, *Geometria*. Si verò pro objecto habuerit quantitatem discretam absolutam, *Arithmetica*. *Musica* denique, si comparativam. Et quoniam ceterarum omnium Reginâ plane Astronomia est, quæ coronatum cœlis verticem suo jure usque infert altius; hinc meritò scientiæ reliquæ huic locum cedunt: ut si quærendus sit

DELECTUS MATERIÆ,

Non aliud invenerim, quam quæ aditum viamque faciat ad hanc ipsam Cosmographici regni Imperatricem id quod fecere complures AA. celebratissimi: Ioan. de saero Bosco, Petrus de Aliazo, Vinetus, Bicardus Iunctinus. Alex. Piccol. Io. Blancanus &c. quorum libri eruditissimi et si sint, atque vulgares non tamen sunt ad manus omnium, ut propterea non sine consilio, nee gratis fecerimus, si optimorum AA. summam aliquam brevissimam ediderimus bono publico tironum Mathematicorum. Est autem omnium maximè necessaria tironibus notitia sphæræ exacta, quæque prædicti AA. tanquam materiæ præliminari operâ maturius subactam ceteris præmisserunt. Igitur & hanc præsentis instituti scopū statuimus.





DELIN EATIONIS SPHÆRÆ

VESTIGIVM I.

Sphæra *glomus* & *globus* est. Hoc quia rotundum. Illud quia ejus ope deprehendimus vestigia artium occulta; ut hoc filo bene apprehenso nemo non securus ineat exeatque quamvis scientiarum Labyrinthum. Verum, uti non potest apprehendi instrumentum sine ansis, ita nec Organum hoc Mathematicum sine terminis, hoc est sine earum notionibus partium, quarum usus omni hac in disciplina est frequentissimus. De his igitur paucis & breviter sic habe.

P V N C T V M I.

Prænotiones.

Omnis dimensio corporis quanti tribus comprehenditur. Nimirum *longitudine*, *latitudine*, *profunditate*. Quæ singulæ species consurgunt ex lineis. Linea verò ex punctis. Punctum est individuum, cuius pars est nulla. Linea est extensio in longum sine latitudine & profunditate; unde singitur describi per fluxum puncti indivisibilis. Linearum alia est *recta*, alia *curva*. Recta est quæ ducta à puncto ad punctum nulla suiparte attollitur. Curva quæ attollitur, prior est in fig. L & 6. A, posterior B. Curva itidem alia est circularis, alia spiralis D. Parallelæ linea est quæ

alteri ita æquidistat, ut si in infinitum protendebantur ambæ, nunquam concurrerent. tales sunt E F. Perpendicularis est quæ cadit in alteram orthogonaliter, seu ad angulos rectos G H. Superficies est extensio in longum & latum sine profunditate. Corpus est quod habet trinam dimensionem.

Porrò ex linearum concursu & superficerum nascuntur genera angulorum, ex quibus iij dicuntur curvilinei, qui fiunt ex concursu curvarum, rectilinei, rectarum. *Angulus* est duarum linearum mutuò se tangentium inclinatio. *Rectus* est, cùm duæ se lineæ secant perpendiculariter L. *Obtusus* est M. qui est recto major. *Acutus* est R. recto minor. Atque ex his lineis sic conformatis nascuntur figuræ planæ, sphæricæ & angulares. *Plane* considerantur tantum secundum superficiem rectâ extensam. *Sphærica* secundum convexam, aut concavam. *Angularis* si solidæ sunt v. g. cubus, secundum omnem dimensionem. Sphærica figura est Circulus, arcus, complementum &c. *Circulus* est curva linea, à qua omnes lineæ per centrum ductæ sunt æquales. *Arcus* est pars circuli, & siquidem quarta seu quadrans est, constat grad. 90. sicut circulus 360. *Complementum* est arcus reliquus circuli vel major vel minor quadrante. *Diameter* est linea N. ducta per centrum, & terminata utrinque circulo. *Angularis* figuræ sunt Triangulum quadrangulum & Poligonum five figura constans pluribus angulis, quam quatuor. De quo Geometræ. Sed jam sit,

PUNCTUM II.

Quid sit Sphæra in genere.

Latè loquendo rectè dixeris Sphæram aliud non esse, quām *Orbis effigiem*. Tripliciter autem à Cosmographis consideratur, vel ut naturā talis est, vel ut arte, vel denique secundum materialiam. 1. *Naturalis* vocatur 2. *Artificialis*. 3. *Armillaris*. Naturalis Cœlos & Terr-aquam complectitur, quibus natura dedit Sphæricam globositudinem. Artificialis est expressio & imitatio Sphæræ naturalis, quæ aut solida est & globosa, aut circularis & plana. Prior ab Arato *Aratæ* vocatur. Posterior à Ptolomæo auctore celebratur, estque nihil aliud, quām projectio corporis globosi in planum; unde & *planisphaerium* appellatur de hac nihil ex instituto, bene tamen & de priori. Sphæra armillaris seu materialis est cœli Terræque Eccliypon instrumentale solis constans circulis. Sive jam hoc fiat armillis ductilibus, sive vitro transparente, & referente motus Cœli & Planetarum. Quod si jam petas

PUNCTUM III.

Quid sit Sphæra in specie?

Quæque recepta ejus definitio? Resp. si de Sphæra naturali quæstio est rectè eam cum Jo. Bapt. Capuano & aliis dici: *corpus rotundum, mobile circa medium, continens in se calum & Elementa* Sphæra autem artificialis juxta Euclidem l. i i.

et, *Transitus circumferentia dimidii circuli*, sive ut Sacrob. explicat: est tale rotundum quod describitur ab arcu semicirculi circumducto. Theodosius vero ait eam esse solidum una superficie contentum, à cuius centro omnes linea ad peripheriam ductæ sint æquales. In qua definitione 1. dicitur solidum. Ad differentiam figuræ imaginæ. 2. *Vnâ superficie contentum*. Ut excludatur rota, pyramis, cubus &c. quæ pluribus constant superficiebus. 3. *A cuius centro &c.* per quod ultima differentia exprimitur, qua discernitur Sphœra ab omni alia figura ovali lenticulari &c. ut rectè advertit Clavius h̄c c. 1. priorem definitionem suppeditare nobis modum fabricandæ sphæræ, posteriorem vero jam fabricatæ natu-ram explicare.

Sphœra denique Armillaris circulorum seu armilarum mobilium fabrica est cœlestium orbiū figuram, motum, situm, & orbitam repræsentans. Sed rectè quæsieris

PUNCTUM IV.

Quid sit Orbis?

Et an à Sphœra distinguitur? Resp. Sphœræ nomine communiter intelligi corpus solidè rotundum, unâque superficie convexâ exteriore contentum; orbis autem corpus concavum est duabus finitum superficiebus externâ nimirum & interiore. *Convexum* autem & *concavum* in quovis Globo vitro, seu pila cavâ videre est;

nam

9.

nam globositas extima *convexus* est, interior
concavus. Atque hoc pacto Orbis cœlestes si-
bi invicem innecti ostendunt Mathematici, ut
anius convexitas inhæreat cavo alterius, clauda-
turque. Verum, quia orbium nomine cœli &
terra veniunt, adeoque Mundus universus, sta-
tuendum omnino est,

PUNCTUM V.

Quid sit Mundus?

Quidve Mundi nomine intelligatur? Resp.
compagm quandam corporum cœlestium &
sublunarium; id quod objectum peculiare est
Cosmographiæ, quatenus illud sub accidenti-
bus quantitatis, figuræ, numeri, sitūs, & motūs
consideratur. Nam si Mundi spectetur essentia,
objectum est **Physicæ**, si **Moralitas**, **Theologiæ**,
si usus, **Oeconomiæ**, si jus & possessio, objectum
litis est, & controversiæ. Bifariam autem com-
muniter Mundus universim dividitur in *sidereum*,
& *sublunarem* seu elementarem, qui sidereo &
cœlesti subordinatur

PUNCTUM VI.

Elementaris

Mundus est illa Universi portio, quæ propior
centro, continuæ alterationi subjicitur, & in 4.
corpora juxta 4. primarum qualitatum naturam,
& habitudinem dividitur: videlicet in *Terram*
frigidam & *sicciam*, *Aquam* *frigidam* & *humi-*

Aer, Aërem humidum & calidum, & in ignem calidum, & siccum. Quæ corpora simplicia & homogenea sunt, vocanturque *elementa*, quod ex eorum comixtione cetera omnia mistorum corpora procreentur. Elementum autem omnium infimum sui gravitate Terra est, centrum unicum, & quidam quasi Universi umbilicus, immo punctum vix notabile respectu cælorum; etiam si aquam insuper complectatur; nam unum conficiunt globum ambo, qui *Terraqua* vocatur, hunc ambit Aer, cui æther succedit regio cæteris depuratiō & orbi lunari proxima: unde & Mundus hic *inferior* & *sublunaris* vocatur.

PUNCTUM VII.

Sidereus,

Sive cœlestis & superior Mundus continetur dicto æthere & cœlo supremo, quod est domicilium DEI & electorum, intra quod spatium est cœlum Planetarium, quod alii tot orbibus distinguunt quot Planetis; 7. nimirum Saturno, Jove, Marte, Sole, Venere, Mercurio, & Luna infimâ, & proximâ ætheri, quem sive ignem dixeris, sive negaveris, perinde est ad rationes Mathematicas, de quo Physici. Septem orbes autem 7. planetis tribuuntur, quod singuli diversos sortiantur motus, sintque sidera erratica, non fixa, cujusmodi insunt Cœlo Firmamenti, cui aliqui adjiciunt cœlum aliquod crystallinum & aqueum, qui omnes primo denique mobili,

eū superstructum Empyrem est, continentur; motūque diurno seu motu raptūs unā cum illo quotiebus circumvertuntur ab ortu ad occasum. Estque motus iste mensura temporis, juxta quam annos, menses, dies & horas dispescimus, & numeramus.

VESTIGIVM II.

De Sphæra Naturali.

Complectitur hæc Mundum visibilem, qui Sphæram ipsam constituit, quarè dispicienda nobis est mundanarum partium, hoc Cœli & Terræ substantia, qualitas, ordo, dispositio, situs, figura & motus; id quod fiet sequentibus hypothesibus, quas vel à Physica mutuatas supponimus vel mathematicis rationibus stabiliimus.

SECTIO I.

De Mundo superiore sive de Cœlo.

Non agimus hic de Mundo Archetypo, qui est DEUS ipse O. M. neque de illo invisibili, qui est status Beatorum in fine sæculi plenè revelandus à DEO, sed de visibili, pro quo sit

HYPOTHESIS I.

Mundus Visibilis

Est Sphæra ex oculo spectatoris velut centro descripta, cœlo Terrâ quo constans.

Duplicem Mundum visibilem & invisibilem agnoscunt Sac. Lit. PP. & Philosophi. Sic, Coloss. 1. SS. Ambros. Augustinus, & Platonici. Invisibilem Hebræi vocant *seculum futurum*, visibilem *seculum præsens*. Et quia sunt, qui invisibilis mundi nomine intelligunt materiam informem, ex qua DEUS orbem creârit; uti existimavit S. Aug. sciendum est juxta S. Thom. 1. p. q. 66. a. 1. *invisibilem* dici non per se, sed per accidens, tum quod erat aquis operta, tum quod lux nondum creata fuerat, tum potissimum quod deerat homo spectator. Porro Mundi partes principales sunt Cœlum & Terra: Cœlum autem si nominis Etymologiam spectes vel à cœlitate, vel à cœlando latine, Græcè κοιλὸν ab excavando dictum est, Recte definitur:

HYPOTHESIS II.

Cœlum

Est pars illa Mundi potior & superior Elementis, orbe concavo (oculorum iudicio) circumscripta sua luce, motu, & influentia Mundo inferiori Benefica.

Incertum numerum cœlorum A. statuunt. 14. Ponit Turrianus. 12. Clavius. 11. Magnus. 2. S. Justinus. 1. Keplerus. Verius tamen cum S. Thom. Hurtado, Tellez &c.

HYPOTHESIS III.

Numerus Cœlorum

Videtur ternario absolvi, si hoc nomen pressè summa-

sumatur, videlicet Empyreo, Firmamento, & Planetaryo.

Et quamvis probari hoc experientiis & certâ ratione physica non possit, satis tamen compre-
hendere habetur ex sacris lit. 2. Cor. 12. ubi se Apo-
stolus ait in tertium usque cœlum raptum fuisse.
Utique in supremum? Ergo omnes cœlos per-
transierit. Ergo plures non sunt post Empyreum;
nisi Firmamentum, & Planetarium. Cūmque so-
lidi dicantur Cœli, & *velut ære fusi*; Planeta-
rium verò sit liquidum? nulli alteri accommo-
dari hoc ipsum poterit in numero plurali; nisi
Empyreo & Firmamento. Accedit nullos alios
propriè cœlos dici posse; nam nubes, aëris, &
Æther &c. impropriè tantum & vulgari phrasis
cœli appellantur, quod pertineant ad regiones
terræ superiores.

HYPOTHESIS IV.

Substantia

Prima Mundi universim spectati *ὑλη*, id est
materia, semen, matrix à philosophis, à S. Au-
gustino Elementum simplex vocatur. De Cœli
substantia rectè dixerim cum S. Chrys. hom. 4.
in Gen. Aquâne densata sit, an aëris constrictus,
an alia materia? nemo prudentum hoc temere
asseruerit. Ex aqua autem fuisse generatos Cœ-
los probabilior est PP. & Phil. RR. Quod si que-
zatur Cœlorum

HYPOTHESIS V.

Qualitas,

Liquidine sint an solidi? Existimmo soliditatem Firmamenti improbabiliter negari.

Hoc enim sonat etymon nominis Latinum, Græcum, Hebraicum & Syriacum. Ita etiam SS. Thom. 3. p. q. 57. Hieron. Basilius &c. & nèAA. hi violenter, & ex conjectura tantum ad hunc sensum pertrahi videanrūt, unum sifto S. Hieron. Epist. ad Ocean. in hæc verba differentem: *Inter Cælum & Terram Firmamentum extruitur, quod iuxta Hebreici Sermonis etymologiam cælum id est Samain ex aquis nomen sortitur; unde in Ezechiele Crystallum super Cherubin videtur extensum, id est compacta, & densiores aqua.* S. Basil. vero hom. 3. Hex. scriptura autem sacra quod perrobussum est, neque cedit id omne firmamentum dicere consuevit, adeò, ut in aëre densato hac ipsa voce sape utatur, cum dicit: qui tonitru firmat. Neque refragatur his S. Aug. l. 2. de Gen. ubi Firmamentum appellat glaciem aquarum.

Quod autem pro oppositâ sententiâ citetur ab aliis S. Chrys. hom. 13. in Gen. advertendum est S. Patrem non loqui de Firmamento, sed de cælo Planetario; nam conceptis verbi hom. 4. ibid. Firmamentum appellat parietem, & interstitium: cuius dorso aquæ cœlestes portentur, id quod de liquiditate intelligi non potest; nisi sensum verborum deinceps omnem improprium facere

facere velis, ut vini nomine æquè oleum veniat aut unda, ac succus de vite. Idem senti de aliis PP. Bafilio, Damasceno &c. Quamquam unus aut alter non sistet torrentem reliquorum. Ut sedet dixerit Dionys. Carth. *inviciabili scripturae autoritate soliditatem Firmamentii fulciri.*

Hinc tamen petes an præter Firmamenti duratam crystallum admittendæ fint aquæ supercœlestes? Resp. assertivè. Cùm aliquod corpus aqueum super cœlos existens negari non possit, salvâ scripturæ Sacræ authoritate; sive jam hoc sit ejusdem naturæ cum aqua elementari, sive fit talis analogicè. Per aquas autem hujusmodi cœlestes, cùm cœlum totale non constituant, neque situs cœlorum perturbatur, neque

HYPOTHESIS VI.

Ordo;

Nam si instes & dicas propterea eas non congruere, quod corpus fint grave, ignobilius aëre, & inutile. Resp. aquas supercœlestes esse illimes & prorsū depuratissimas, quòd procul sint à Terræ contagione & ejusdem crassis exhalationibus. Præterea usum earum DEO cognitum servire 1. ad rorem, qui sufflat super terram 2. Ut firment cœlum inconcussum à procellis ventorum. 3. Ut influxus frigidos conservent, & Empyrei ardorem retundant; quemadmodum canit Ecclesia: *ut unda flamas temperet &c.* Ceterum systema cœlorum habes in figura I. in qua, cùm liqui-

liquidum cœlum Planetarium statuamus, nihil admodum attinet dicere de ordine cœlorum; id quod majoris operæ foret in solido systemate. Ejusmodi autem Planetarium esse suadetur 1. experientiis apparentium phenomenonorum, quæ motu suo & liberâ trajectione eò pervenire in cœlis, quò sine corporum penetratione pervenire non potuissent. 2. Ex motu Veneris & Mercurii circa solem &c. 3. Quia difficultates astonomicæ faciliùs in cœlo permeabili, & fluido explicantur per varium lationis modum, quem ab Intelligentiis motricibus accipiunt, quam in solido per tot epicyclos reales. Porrò

HYPOTHESIS VII.

Dispositio

Cœlorum in fig. I. repræsentatur, in qua orbis lunaris locum infimum rectè occupat, Saturnus verò, Jupiter, & Mars post stellas fixas collocantur ordine consequenti, ac Solem Mercurius, ac Venus comitantur, qui modò suprà, modò infrà, modò etiam ad latera regem hunc suum percrebrò visi sunt stipasse. Hinc tamen & Planetis & cœlo universim animam aut formam intellectivam informantem nullam afferimus: quamquam ut S. Thom. 2. cont. Gent. advertit erroneum in fide non sit: animam cœlis adstruere rationali inferiorem. Oppositum tamen melior Philosophie cum Aristotele suadet. Ceterū

HYPOTHESIS VIII.

Situs

Et positus cælorum in citata fig. 1. exhibetur, in qua universi Centrum Terra occupat, quæ dispositio, totaque corporum cœlestium œconomia, etsi symmetrica, & ordinatissima sit; negamus tamen inde evinci concentum, aut harmoniam aliam, quam metaphoricam. Ut lepidè somniarint alii ex impulsu globorum cœlestium elici sonum realem, cumque non sentiri à nobis, ut nec fragorem Nili ab incolis Catsduperum. Nam si tonitrua audimus nubium collisione generata, tantorum orbium conversiones, cum vehementiores sint, cur non exaudiremus? ut opinionem hanc S. Basilius recte veterotoriam appelle, & ruinosâ carie flaccidam.


HYPOTHESIS IX.

Motus & Figura

Cælorum ejusmodi sunt, quæ tanto corpori competunt, adeoque ille circularis est, hac Sphærica,

Ita Ptol. Theon. Sacrabos. Copern. Clavius, Baroc. Hanc figuram cælo congruere evincitur sequentibus 1. quia corpori capacissimo parfigura debetur. Atqui cælum intra se continet omnia. Igitur debetur ei figura Sphærica, quæ est capacissima; nam ut Pappus & Clavius demonstrant: Circulus omnibus figuris rectilineis regul-

regularibus sibi isoperimetris major est. 2. Sphæra est omnium corporum ad motum conversio-
nis agillima ob minorem resistentiam medii.
3. Motus circularis est nobilissimus, simplicissimus, regulatissimus. Igitur debetur cœlo cor-
pori inanimatorū omnium nobilissimo, simplicissimo, & regulari. Mitto congruentias 1. quod
istiusmodi motus & figura, cum principio & fine
careant, Immenitatem quandam & Infinitatem
Auctoris æmulentur. 2. Quod alia corpora, præ-
sertim liquida, rotunditatem affectent, ut guttae,
semina, trunci arborum, & agentia ferè quævis
non impedita, quæ propterea dicuntur vim suam
exercere intra Sphærām suæ activitatis. Mitto
præterea 3. experientias sensuum, quas hauri-
mus ex aspectu cœli concamerati, itinerantium,
navigantium, ex umbrarum projectione, figurâ,
decremento, incremento, Planetarum observa-
to motu, instrumentis astronomicis &c. quæ ta-
men nemo unus omnia, nisi protervus, nega-
verit. Idem senti de globo sitate Ter-
ræ cæteris paribus de
qua fit.



SECTIO II.

HYPOTHESIS X.

Terra

Est pars Mundi inferior, cum aquâ in globi formam coagmentata, concessa homini ad habitandum, ut ex eâ, velut communi cum oculo centro, superiora contempletur & cœlestia.

Non sumo hîc terram pro pulvere elementari, neque pro parte inferiore hujus regionis aridâ, à liquidâ distinctâ; sed pro regione inferiore pedibus nostris subiectâ, & ex aridâ & liquidâ conflatâ, quam *Terr-aquam* appellari diximus, quamvis synechdochicè hoc nomine à potiore Terra solùm veniat. Aridam autem & liquidam coivisse in unum corpus una superficie Sphæricâ comprehensum experientiâ teste & observatione cœlestium Phenomenorum indubitatum est, priore quidem, quia superato quocunque pelago alia & alia loca arida inveniuntur. Posteriorē verò, quia distantia siderum eadem deprehenditur, sive terrâ spectentur, sive mari. Sed jam de Terræ constitutione, figurâ, systemate, mole, & stabilitate dicemus.

HYPOTHESIS XI.

Terræ constitutio

Est diversa juxta diversas Philosophorum opiniones. Ejus principia chimici volunt esse salēm, sulphur, & mercurium. Alii præter priora duo ad-

addunt oleum, aquam, & spiritum quendam acidum, utpote in quas substantias elementares omnis telluris portio resolvatur. Quos tamen omnes cum Atomistis rejicimus, stamusque pro scholâ Peripateticâ, nec nisi quatuor notissimæ elementa recipimus; ut Terra, si scorsim spectetur, sit *elementum simplex*. Cujus plenior Tæcacia spectat ad Physicum. Quomodo autem intus instituta sit, hoc est à superficie proprius centrum, existimant aliqui aquas in imo terræ existere, alii ignem, alii cum Gilbert. Ang. opinantur Telluris corpus intus aliud non esse nisi durissimum magnetem, partes verò ad quas homines fodiendo perveniunt, corticem tantum & crustam esse magnetici corporis. Sed contra est 1. Quia si terra corpus ejusmodi foret omnia ubique ferramenta attraheret; secus ac fieri videmus. 2. Ignes subterranei vim illam magneticam prorsus interierent. 3. Quia vis tanta non videtur telluri posse concedi; siquidem, si illam exerceret, usibus humanis multum obesset. Itaque tutius dici posse existimo Terram non quidem corpus ipsum magneticum constituere, pollere tamen cognatâ aliquâ ejus virtute, quemadmodum & ferrum, quod virtutem quidem contrahit magnetis, non tamen retinet seperato magnete.

HYPOTHESIS XII.

Figura

Terra globosa est Sphaeram referens.

Præter rationes de cœli rotunditate jā allatas sunt

sunt 1. quia omnes partes terræ tendunt ad idem
centrū. 2. Quia in creatione Mundi cùm terra es-
set aquæ commixta, utique fuerit mollis & humi-
da, ergo confluxerit in globum. 3. Quia hoc evin-
t apparentiæ cœlestes, solis altitudo diversa,
p. i. elevatio, diversum tempus, siderum ortūs &
occidūs &c. Terrestres, navigationum directio,
apparatio & occultatio montium, turrium, recto-
rum. 3. Quia progredientibus versus septentrio-
nem sub eodem Meridiano magis elevatur polus
& sic necessario profundius descenditur &c. Ex
quibus manifestum est terram planam non esse.
Nec cavam esse posse patet ex eo, quòd sol & stel-
læ prius occidentalibus populis, quām orienta-
libus apparere deberent si talis esset. Quemad-
modum solem orientem videmus prius illustra-
re valles, quam aversam montium partem.

Nec in contrarium faciunt objecta 1. quod
duin Sol & Luna oriuntur & occidunt, recta li-
nea secari ab Horizonte videantur, cùm curva
deberent. 2. Quia undecūnq; tellus conspicatur
plana apparet. 3. Quia montes impediunt rotun-
ditatem. Resp. enim montium altitudinem, cùm
nullam habeant proportionem cum Terræ ma-
gnitudine, quemadmodum & Horizontalis illa
lineolæ portio, nihil obesse terræ globositati,
quam non Geometricè Sphæricam afferimus, sed
physicè & moraliter. Adeoque & oculi visum
non eò usque se extendere, ut sensibilem adver-
sat vastissimi corporis rotunditatem.

HYPOTHESIS XIII.

Systema

Sive situs Telluris centrum universi occupat.

Dixi *Tellurus*, quo nomine Terra, Aqua, & Atmosphæra simul veniunt. Est autē Atmosphæra corpus illud subtile, quod Terraquā cingit versus cœlū, & complectitur aërem nubes & pluvias &c.

Ad stabiliendam hypothesin non adferre rationes jam obsoletas, ut quod medietas cœli, sexque tantum signa Zodiaci supra Horizontem quotunque tempore appareant. Quod distantia siderum ubique æquabilis sit, quacunque regione capiatur. Quod Horologia sciatherica ubique terrarum easdem horas indicent, adeoque Gnomon repræsentet centrum Terræ &c. Hæc enim omnia cludere possunt adversarii Copernicæi vastitate cœli immensâ; respectu cuius Terra prorsùs insensibilis evadat, quounque loco ponatur. Verum his non obstantibus, cum scripturæ, & Ecclesiæ auctoritas firmior sit omni ratione, repudiandum omnino est systema oppositum Copernici, qui solem immobilem posuit in centro terræ, & circa solem mobilem tellurem. Nam cum omnia gravia liquidò videamus tendere ad centrum, Terræ moles, cum tantæ sic gravitatis, infimum omnino locum in mundo, hoc ē centrum, occupet, necesse est. Est autem

HYPOTHESIS XIV.

Moles Terræ

Absoluta, si peripheriam spectes, milliarium Germ. 3400. respectiva verò, hoc est comparata cum cœlo Firmamenti, non nisi punctum unicum insensibile est.

Prius

Prius ex Geometria supponimus. Posterius probatur 1. ex figur. 2. ubi semidiameter terræ insensibilis portio evadit, quæ abscinditur in Firmamento B C. cum nec unum gradum cœlestem conficiat; nam semidiameter Firmamenti, quo a concavam superficiem, semidiametrum terræ continet vices bis millies sexcenties & duodecies ju[nct]a Clavii calculum. 2. Quia apparet nobis dimidia pars cœli ubique locorum perinde ac si essemus in centro Mundi. 3. Quia stellæ Firmamenti, quantumvis nonnullæ sint centies majores, quam Terra, non apparent tamen nisi veluti puncta quædam lucida. Ergo à fortiori talis erit terra respectu Firmamenti. Porro millaria Germanica in præsenti supputatione ejusmodi sunt; ut unum eorum contineat perticas Rhinlandicas 1900. Quindecim verò 19. millaria Hollandica.

Omnium verò commodissima sunt millaria Italica quorum 60. respondent uni gradui, unum verò uni minuto; ut ambitus terræ juxta hanc supputationē complectatur millaria 21600. semidiameter verò 3440. Est autem semidiameter Terræ modulus & mensura omnium cœlestium dimensionū tam in assignandis distantiis Planetarum à Tellure, & à se invicem, quam in magnitudine eorundem supputandâ. Ita dicimus solem abesse à tellure semidiometris 1200. Lunam 40.

HYPOTHESIS XV.

Stabilitas

Terra afferitur contra Copernicos.

Tum quia repugnat opposita sententia evi-

dem-

dentiæ physicæ, ejusq; demonstrationibus. Tum quia argumenta in contrarium sunt tantum hypothetica, & de re non impossibili. Tunī denique quia est contra textus S. Scripturæ ad literam intellectæ. Hoc postremum ostendit censura Ecclesiastica lata à Congregatione Cardinalium iudicato rum à Paulo 5. & Urbano 8. Prius evi-
cunt sequentes rationes 1. Quia physicè evi-
tūs est gravia descendere deorsum per lineam rectam, &
sursum projecta per eandem recidere; hoc non
fieret, si tellus moveretur motu diurno vel an-
nuo, quia gravia sic descenderent per lineam cur-
vam & longiorem, consequens est contra sensi-
bilem omnium experientiam, cui innixus intel-
lectus, refragari non potest aut debet ob con-
gruentias pro opposito. 2. Quia nulla linea recta
duci posset funiculo, filo, aut atramentō, quæ non
corām DEO & angelis curva esset & diversæ fi-
guræ. 3. Tolleretur ex universo motus rerum
simplex sursum & deorsum. 4. Lapis è turri de-
missus non caderet ad pedem turris, nec globus è
tormento ad metam. Nec turres à ruina nec ho-
mines à vertigine immunes forent. 5. Denique
ibi est centrum terræ, ubi est terminus, ad quem
omnia gravia tendunt, sed hic est terminus Uni-
versi. Ergo terræ centrum est in centro universi.
Atque in centro quiescit, cùm sit terminus mo-
tus, igitur & tellus in centro terræ quiescit. Et li-
cet semper habeant Adversarii, quod respondeant,
spectatā tamen manifestā sensūs repugnatiā, &
quod in utraq; hypothesi (ut ipsimet fatetur) eodē
modo salventur observationes cælestes, potius
asse-

afferenda est immobilitas terræ, quam ejus oppositum; licet hoc nullâ Ecclesiæ censura notaretur.

Neque obstat quod contra arguunt 1. illi corpori ex duobus potius congruere motum, quod constat esse Sphaericum, quam illi, quod tale non est. Angel de quo certò non constat esse tale, prius est terro posterius cœlum. Ergo &c. 2. Ex duobus mobiliis illud potius moveri, quod moto altero necessariò movetur, nec potest resistere, quam id, quod potest. Atqui cœlorum vertigine neceſſe est etiam rapi terram &c. 3. Indignum videri ut cœlum moveatur in gratiam terræ, ut quemadmodum in homine pedes moventur, non caput, ita in Mundo vicem pedum habere Terram, adeoque moveri debere.

Resp. ad 1. neg. m. cum globositas terræ non sit necessaria ad vertiginem ejusdem eò quod non debeat ferri super planitatem. Deinde etiam juxta nos cœlum habet figuram Sphaericam.

Resp. ad 2. transm. M. neg. m. Nam, cum cœlum Planetarium liquidem sit, non est neceſſe rapi terram rapto Firmamento, cum nec cœli Planetarii cieantur motu illo raptili Firmamenti.

Resp. ad 3. Terram non esse pedem universi, nè quidem secundum Adversarios, siquidem non est centrum, juxta illos, seu pars imma. Itaque restiūs dici Scabellum immobile pedum DEI. De reliquis Terræ affectionibus

THEOREMA I.

Terra & aqua unum faciunt globum.

Quia si duo forent, duo etiam haberent centra gravitatis sc. & magnitudinis, atqui hoc est contra

tra experientiam; nam lapis, & aqua in terram demissa secundum unum perpendiculum feruntur versus unum centrum Terræ, & utraque è sublimi in terram collapsa cadunt in eundem punctum. Hinc quando scire volumus, quonam pendens in aëre suspensum casurum sit, prius per aquæ guttas ex pondere deciduas exploramus. Deinde cùm unum globum rotundum & umbratum tam aquæ, quam terræ in Eclipsi lunari omnies & constanter spectamus, igitur & unus erit globus ex Terra & aqua compositus, cùm figura uniuscujusq; umbræ imitetur figuram corporis opaci umbræ terminantis. Ex quoconsequitur etiā aqua esse ex natura sua Sphæricam, id, quad probat Aristoteles de quovis liquore; siquidem ex natura sua semper defluit ad loca decliviora.

Profunditas Terræ

THEOREMA II. Ex ambitu dignoscitur, id quod hoc pacto consequeris si circuli cujusvis ad suam diametrum proportionem ferè triplam sesqui septimam notaveris, ut si circulus A contineat partes æquales 22. diameter habebit ferè septem. Et econtra, si diameter habeat partes æquales 7. circumferentia continebit 22. quo patet non tam Globi Terraquei; sed etiam uniuscujusque corporis circularis haberi potest profunditas & circumferentia. Sed juvat in ipsa Terræ viscera descendere, orbemque totum Terraqueum suo in fundo spectare

Aspectus subterrestris

THEOREMA III. Sive facies interior apertæ Tel-

Telluris simillima videtur humano corpori. Quemadmodum enim hoc carne, sanguine, ossibus, neruis venis, & arteriis constat easque partes omnes mirabili symmetria & ordine dispositae exhibet, ubi per Anatomicos apertum est, ita planè se habet corpus subterrestre, si medio quasi diffusum retegatur; ibi enim canales innumeri, & aquæductus, ceu venæ & arteriæ, molliorem glebas velut carnem interstingunt. Montes verò & lapides sunt ossium loco, crinum verò & capillamenti superficies pratorum & camporum silvis & arboribus hirsuta, ut in utroque hoc orbis parvo scilicet homine & magno idest Mondo nihil sine ratione, lege, & ordine à sapientissimo opifice & plaste DEO factum esse videatur; recteque dixerit Philosophus: *Opus naturæ esse opus intelligentiæ.*

Porrò in terræ visceribus subterraneos esse fornices quasi æstuaria quædam & Vulcani officinas non tam ratio quam oocularis probat experientia. Siquidem terra multis in locis calida fumosaque apparet erumpentibus flammis & harritibus per hiatus telluris velut per caminos. Hæc autem ignium receptacula sub tellure omnino necessaria fuisse ad œconomiam naturæ eò Physici probant, quod generationes in communione calidi & humidi consortio, hoc est aquâ & igne indigeant contrariis quidem elementis, sed mutuâ sui impugnatione mirè attemperatis, unde Thermæ, Acidulæ & aquæ vitriolatae in regionibus passim erumpentes occurruunt.

Aspectus submarinus

THEOREMA IV. Conformis est exteriori Terræ superficie; nam montes, valles prata, & arbores habet perpetuo virore florentia, ut si eis siccaretur mare, non nisi vastissimæ regiones, silvæ, montes & planities viserentur. Omnis autem oceani aqua sub polo Boreali arbosa est, & sub polo australi regurgitatur fluxu irremisso, & continuo; ut locus omnis circa polum utrumque inaccessus sit navibus, quas nautæ mature solent Loxodromiæ & Histriodromiæ artis Beneficio, quæ sunt species Hydrographicæ avertere.

Aquarum affectiones.

THEOREMA V. Ex eo, quod aqua rotunda sit, consequitur necessariò plus aquæ residere in vase ad montis radicem posito, quam in vertice. Ita, ut quod altius evahatur vas aqua plenum, eò minus, & quod profundius descendit, eò plus aquæ retineat. Demonstratio est evidens in figura, in qua vides minorem circulum facere aquam contentam in vase in loco sublimiore, quam in inferiore. Ceterum, si queras, quomodo intelligendus sit Aristoteles, cum agit de magnitudine elementorum, & dicit, unumquodque decupla proportione superari à viciniori v.g. terram ab aqua, aquam ab aëre, aërem ab igne &c. Resp. Aristotelé non loqui absolutè, sed conditionatè; nimis: quod si terra in aquam resolvetur, & aqua in aërem, plus decies tunc aquarum sit futurum. Quod verum est. Atque hæc de Sphæra naturali.

VESTIGIVM III.

De Sphæra Artificiali.

Der hanc non intelligo aliud, quām corpus convexā rotunditate perfectè Sphæricum, conservatum orbi sidereo, aut Terrestri.

SECTIO I.

Ejus partes præcipuae

Sunt Centrum, Axis, Poli, puncta Zenith & Nadir &c. quæ omni Sphærae tum reali, tum imaginariæ convenient.

Centrum

HYPOTH. XVI. Est punctum illud à quo omnes linea ad peripheriam ductæ sunt aquales. Punctum autem definit Euclides: cuius pars nulla est, id quod non est idem cum centro, cùm hoc sit principium figuræ medium, à quo punctum quā tale abstrahit.

Axis

HYPOTH. XVII. Est linea recta quiescens, per centrum Sphærae ducta eisque superficie utrinque terminata, circa quam Sphæra voluitur. Ex hac definitione perspicuum est discrimen axis à diametro; quævis enim linea per centrum ducta & terminata ad circumferentia extremitates diameter quidem est, non tamen axis, nisi circa eam Sphæra etiam volvatur. Quamvis non negarim Astronomis diametrum, cujusque circuli axis vi-

cem præbere posse; siquidem circa illam move-retur Sphæra seu circulus uniformiter, si move-ri deberet; licet actu non moveatur. Est autem axis Sphæræ præcipuus ille, qui per medium ter-ram protenditur à septentrione versus Austrum; & repræsentatur in fig. 4. Nam cœlum libi-ri, rotarique, cum oculis pateat, inge...osè axem adfixit antiquitas, quo quasi rota sive Ja-nua in cardine circumvertatur Orbis atque susti-neatur. Complures autem axes concipi possunt tot scilicet, quod orbis concipiuntur, cumque hi axes omnes in Sphæra per centrum Telluris transire debeant, atque inibi se mutuo interseca-re breviter axis dici poterit: *Orbis volubilis dia-meter*: antonomastice tamen accipitur pro insi-gniore h. e. axe Mundi terminante se ad polum utrumque sunt autem

Poli

HYPOTH. X. Nihil aliud nisi puncta duo axes terminantia. Ille, qui nobis h̄c in Europa degen-tibus semper conspicuus est, Arcticus, Boreus, se-ptentrionalis, & vulgo *North* vocatur, alter ve-ro polorum Antarcticus, Austrinus, Meridian. & *Sud* appellatur, qui nostro sub Hemisphærio semper delitescit, tantumque deprimitur, quan-tum oppositus attollitur, de quo Virg.

*Hic vertex nobis semper sublimis, at illum
Sub pedibus Styx imma tenet manesque profundi.*

Dicuntur *Poli* à πολέω vero seu circumago, eo quod circa hæc duo puncta tota mundi ma-chi-

china volvatur. Possunt autem plures poli quemadmodum & axes in Cælo & in Sphæra concipi. Sic Poli Horizontis sunt Zenith, & Nadir, Poli Meridiani sunt puncta ortus & occasus.

Zenith

HYPOTH. XIX. Est punctum Cœli verticale, quod directe & perpendiculariter imminet capitis habitantium. Hinc stella in Zenith h. e. directe supra caput nostrum posita *Verticalis* dicitur, & vi maximâ hoc situ pollet imbuedi subjectam terram qualitatibus suis bonis aut malignis.

Nadir

HYPOTH. XX. Est punctum cœli sub terra oppositum diametraliter punto Zenit seu vertici capitis nostri, debetque utrumque necessario æqualiter distare ab Horizonte grad. 90. quandoquidem omnis Sphæra ambitus dividitur in gradus omnino 360.

Porrò Horizon, de quo post, est Circulus dividens unum Hemisphærium conspicuum ab altero latenti sub pedibus, sive est spatium illud, quod circumscribit liber oculus in regione patenti existens v. g. in F. fig. II. ubi, cum videoas D. attolli supra Horizontem, dignoscis ipsam Poli elevationem, quæ diversa semper est pro diverso Horizonte. Possunt autem, cum Mundus sit rotundus variari Horizontes propè infinitos.

ties; nam accedere proprias & recedere à polo immobili possunt. Hinc nascitur

SECTIO II.

Varia Sphæræ positio

Pro varietate Horizontis; nam vel ~~Sphæra~~ est parallelus axi? & vocatur globus seu ~~Sphæra~~ recta. Vel axis ad Horizontem facit angulos rectos, aut obliquos? si obliquos, est ~~Sphæra~~ obliqua, si rectos, est parallela.

Sphæra recta

HYPOTHESIS XXI. In hac habitantibus sequentia contingunt. 1. Habent æquinoctium ferè perpetuum. 2. Omnes stellæ eis quotidie oriuntur & occidunt. 3. Sol quotannis bis verticem eorum pertransit, facitque æstatem perpetuam, bis intensissimam tunc, cum verticalis fit, remissiorem, cum discedit ad latera, quo discesu quasi hiemem efficit, sed tepidam. Plura sunt accidentia in

Sphæra obliqua,

HYPOTH. XXII. Quia plurimæ possunt esse Sphæræ obliquæ. 1. Degentibus sub Horizonte obliquo stellæ quædam septentrionales nunquam occidunt, contrà quædam meridionales nunquam oriuntur. 2. Duo habent æquinoctia sole in principio Arietis & Libræ constituto. 2. Sol bis fit illis verticalis (intra æquat. & Trop. Cancri degentibus) semel ceteris. 4. Magnam & va-

& variam habent dierum & noctivum inæqualitatem. 5. Una est æstas sole circa Zenith versante, Hiems locis oppositis. Mira contingunt habitantibus in

Sphærâ parallelâ

HYPOTH. XXIII. 1. Nihil oritur illis vel occidit de stellis fixis, sed unus semissis exercitūs stellarum perpetuò de nocte conspicitur, alter de die cœatur. 2. Durat dies continuus per 6. menses & nox per totidem, ita ut in opposito Hemisphærio degentibus contrarium semper obtingat. 3. Nullam ferè æstatem habent, sed hiemem potius perpetuam, aut non nisi tenuem frigoris remissionem. 4. Umbram habent circularem, hoc est, ex omni circum parte, eāmque æqualem hinc Circumumbres, seu *Periscii* vocantur. 2. Alii *Antipodes*, qui scilicet oppositum è diametro alteri locum habitant, ejusque pedibus pedes obvertunt. 3. *Antæci*, qui degunt in opposito parallelo. 4. *Antiscii*, qui umbram habent in oppositam partem, ut Arabes respectu Italorum. 5. *Heteroscii* & *Amphiscii*, qui vel ex una tantum parte, vel alternatim habent umbram, prout solem habent australem vel borealem.

SECTIO III.

Reliquæ Sphæræ accidentia

Sunt cursus & mora Solis supra Horizontem, dierum inæqualitas, ortus & occasus siderum &c. Dies duplex est compositus, & simplex, seu naturalis, & artificialis.

Dies Naturalis

HYPOTH. XXIV. Est *integra revolutio Sphaeræ*, quæ sit spatio hor. 24. ad coque noctem diemque artificialē complectitur hinc Græcè *νυκθήμερος* vocatur, Latine *naturalis*, quod natura exigat perfectam circulationem h. c. iutegnum totius Sphæræ ab uno puncto ad alterum conversionem. Sphæræ autem circumficiēntia dividitur in gradus seu partes æquales 360. ex quibus uni horæ correspondent 15. quæ si per 24. multiplicas, deprehendes solem conficere circulum suum, atque hoc ipso diem naturalem spatio horarum 24.

Dies artificialis

Est Tempus quo Sol ab ortu supra Horizontem movetur usque ad occasum infra Horizonta, sive breviter: est *mora solis supra Horizontem*. Quamdiu ergo extat sol in uno Hemisphærio, est dies, & interea nox in opposito Hemisphærio. *Artificialis* vocatur, quod serviat artificibus, qui interdiu laborant, *simplex*, quia noctem excludit, quæ est *mora solis infra Horizontem*. Porro dierum & noctium in Sphæra obliqua est magna inæqualitas, quæ desumitur ab arcibus diurnis, quòd enim major est iste arcus, eò dies est longior, quòd minor, brevior. Est autem arcus diurnus spatium illud circuli quod describit Sol supra Horizontem ab uno puncto Horizontali usque ad alterum in fig. III. & 4. ex B. in C.

Inæ-

Inequalitas diei

HYPOTHESIS XXVI. Artificialis ori-
tur etiam tum ex parallaxi , tum ex refractio-
ne solis Horizontalis , prius fit , cùm desumi-
rur dies à motu solis vero , respectu centri ter-
posteriorius , cùm desumitur à motu solis no-
bis parenti in superficie terræ , quamquam po-
tissimum diversitas diei desumatur ex obliquitate
Horizontis diversâ , qui in hac regione est polo
propior , in alia remotior , quo fit ut necessariò
diversi arcus à sole describantur . Nota 1. inæ-
qualitatem diei in eadam regione provenire ex
obliquitate cursus solaris in Eccliptica . Nota 2.
diem naturalem alium esse solarem , alium primi
mobilis , quorum ille potest esse longior isto 4.
ferè min. Nam tot sol motu proprio recedit in
obliquum . Solaris est integra revolutio solis ad
Horizontem . Dies primi mob. est integra revo-
lutio **Æquatoris** ab uno puncto Horizontis ad
idem .


Ortus & occasus diei

HYPOTH. XXVII. Desumitur & dignosci-
tur ex aspectu solis vel ascendentis supra Hori-
zontem , vel descendenter infra eundem . Qua-
tuor autem situs terræ Cardinales deprehendes
conversâ facie ad solem orientem ; nam sic con-
stitutus habebis **Orientem** à fronte , **Occidentem** à
tergo . **Septentrionem** à sinistris , **Meridiem** à dex-
tris . Id quod eodem compendio feceris con-
versus ad stellam polarem ; ubi fronti obverte-

tur Septentrio, tergori Meridies, dextræ Oriens, sinistræ Occidens. Atque hunc situm habebit etiam Sphæra, si axem realem Cælesti imaginario conformaveris. h. e. si polus seu extremitas axis stellæ circumpolari congruerit.

Ascensus & descensus siderum

HYPOTH. XXIX. Poëtarum versibus spectantur, unde & poëtici dicuntur: eorum sunt species. *Cosmicus* nimirum, *Acronychus*, & *Heliacus*, *Cosmicus* ortus est cum stella oritur sole oriente, occasus cum occidit occidente, *Acronychus* cum oritur occidente vel occidit oriente, *Heliacus* denique cum stellæ vel ex radiis solis emergunt, vel iis involvuntur, quod, cum sit manè, est ortus vel occasus *Heliacus Matutinus*, *Vespertinus* cum Vesperi. Hic ortus seu ascensus accedit stellis, qui motu suo sunt tardiores sole, & ob id manè à sole relictae iterum cernuntur, & vesperæ ab eodem præventæ evanescunt. Ortus & occasus *Cosmicus* & *Acronychus* competit omnibus stellis, quæ oriuntur & occidunt, non tamen semper Veneri & Mercurio Soli viciniorebus. *Cosmicus* à Mundo, quem suo exortu stellæ ornant, *Acronychus* à puncto noctis, à quo incipit, *Heliacus* à sole denominatur. Qui tamen verius & rectius phasis appelletur,
quam ortus.





VESTIGIVM IV.

De Sphæra Materiali seu armillari.

EST hæc instrumentum mathematicum universalissimum, quo totum Cæli, Terræque sy-
ma per armillas seu circulos & miro artifi-
cio i-ⁿtraxentatur, & facili labore addiscitur. Circu-
lora, ^{la}n autem alii sunt *maximi*, alii *non ma-*
ximi.

Circuli maximi

HYPOTH. XXIX. Sunt, qui transcut per centrum Sphæræ, non Maximi, qui non transcut. Nominatores circuli universim in totâ Sphæra numerantur 10. *Horizon*, *Meridianus*, *Æquator*, *Zodiacus*, duo *Coluli*, duo *Tropics* & duo *Polares* descripti in fig. 4. Prioris 6. sunt Maximi, posteriores 4. sunt Minores. Poli cujusvis Circuli Maximi sunt puncta in superficie Sphæræ, à quibus omnes rectæ per centrum ductæ sunt æquales. Distantia autem circulorum minorum desumitur à perpendiculari recta ducta à Centro Sphæræ ad planum circuli.

Proprietates circulorum sunt 1. quod Maximi se mutuo secant bifariam seu in duas portiones æquales, & è converso, si se secant, Maximi sicut Theod. P. 1. p. 11. 2. Idem circuli sunt æquales inter se, propter diametros æquales. 3. Paralleli Sphæræ qui longius distant à centro minores sunt. ibid. p. 6. 4. Recta in centrum cadens facit cum piano circuli angulos rectos. p. 7.

3. Circulus quisunque Maximus, si transit per unum polum cujusque circuli Maximi, transit & per alterum, eumque secat bifariam &c. sed jam de Circulis Maximis sigillatim, quorum primus est

Horizon,

HYPOTH. XXX. Vocatur circulus *Finis* & *Terminator*, eò quod visum terminet oculum ibi-
rè circumspicientis orbem, tum etiam, qd a finit
diem ac noctem, quæ utraque desumitur ab
ascensu, & descensu solis supra & infra Horizon-
tem. Dividitur Horizon in *rationalem*, & *sensi-
bilem*, prior *naturalis* dicitur, & *astronomicus*,
quem sensu non attingimus, sed ratiocionando,
posterior *apparens* & *Physicus* appellatur, quem
oculis spectamus, formamus circumspiciendo
unum Mundi Hemisphæriam.

Horizon rationalis

HYPOTH. XXXI. Est circulus Sphæræ maxi-
mus, cuius poli sunt in vertice habitantis, &
puncto vertici opposito, dividitque Sphærām
perfectè in Hemisphærium superius & inferius
talis est in fig. 2. recta O. K. Differt autem Ho-
rizon rationalis à sensibili, tum quod hic non sit
circulus maximus cum non transeat per centrum
Sphæræ, tum quod hoc ipso non dividat Sphærām
in duo Hemisphæria æqualia, sed in seg-
menta inæqualia.

Horizon sensibilis

HYPOTH. XXXII. Est circulus Sphæræ non
maxi-

maximus parallelus Horizonti rationali dividens habitatori segmentum Sphæræ visibile ab invisibili, sive qui suo plano circulari coextenditur superficie globi Terrauei, super quo siam piano radii visuales oculorum extenduntur, quantum extendi possunt. Atque hic est Horizon, supra quem omnes Mundi artes exercentur per gnomones, perpendicularia, libras libellas &c. a quibus & *artificialis* vocatur. Quod si quæras 1. an quilibet habitator suum Horizontem habeat distinctum ab Horizonte alterius. Resp. A. in rigore astronomico, non in Physico cum physicè eundem Horizonta habere videantur, quibus idem punctum cœli supra caput imminentे videtur, cuius rei sensibilis diversitas non est, nisi distet unus ab altero circiter milliare Ital. Quæres 2. quanta sit distantia visus oculi supra terram elevati. Resp. si altitudo oculi sit commensa statura hominis h. e. 6. pedib. arcum oculi probabiliter non pervenire ultra 4. milliar.

Meridianus

HYPOTH. XXXIII. Est circulus Sphæræ maximus transiens per polos Mundi, & Verticem habitatoris, qualis est in fig. 4. SS. dicitur *Meridianus* quod solis centrum, si ad ipsum perveniat supra Horizontem, *Meridiem* faciat, infra verò *Mednoctum*.

Meridiani in chartis Geographicis tot describi, quot gradus possunt, solent autem 36. qui intercipiunt gradus quindenos, sive horam unam.

Primarius Meridianus est, qui transit per insulas Afores, à quo numerare incipimus longitudinem regionum.

Æquator

HYPOTH. XXXIV. Habet eosdem polos curpolis Mundi, vocatur & *linea æquinoctialis*, quia sole per eam transeunte dies æquentur noctes. Est cingulum mundi, & mensura motus turni, qui communis est omnibus sideribus; in perpetuò seculorum consensu stellæ omnes videntur circumvolui ab oriente ad occasum. spatio horarum 24. quarè, ubi circulus hic in se ipsum redierit, hoc est à puncto, quo cœpit moveri, ad idem reverterit, absolvit diem integrum naturalem. Ejus ambitus, sicut omnis alijs circuli dividitur in gradus 360. gradus autem quilibet dividitur in 60. minuta, minutum in 60. secunda, secundum in totidem tertia &c. atque hac divisione supputamus omnes motus cœlestes & quantitates v. g. solis aut poli supra Horizontem elevati altitudinem, elevationem Æquatoris, &c. Est autem in omni circuli quadrante elevatio Æquatoris complementum seu residuum ab elevatione poli relictum, ut si hæc habeat 50. gr. illa necessariò habeat 40. nam grad. 90. constat quævis quarta pars circuli.

Zodiacus

HYPOTH. XXXV. Est fascia seu Zona cœlestis lata gr. 12, & amplius, terminata circumfereentiis duorum circulorum non maximorum scilicet

licet Tropici Cancri, & Capricorni. Dicitur *circulus animalium* seu, *signifer*, tum quod signa animalium referat, tum quod viam solis & Planetaryum, quorum virtute omnia animantur, significet. Non transit hic circulus per polos, bens, tamen per centrum Mundi, ac propterea obliquus est, declinatque ab æquatore grad. 23. 30'. uti videtur in fig. 4. B. C. in cuius medio vides pertransire lineam, quæ vocatur:

Ecliptica

HYPOTH. XXXVI. Est semita solis & circulus maximæ equaliter distans à polis Zodiaci per quæ sol indeclinabiliter discurrit, vocatur *Ecliptica*, eò quod in ea contingant Eclipses, seu lumina-rium cœlestium defectiones. Differt à Zodiaco tanquam pars à toto; siquidem aliud non est in Zodiaco quam linea latitudinis expers. Ejus officia sunt 1. secare bifariam æquatorem in duobus punctis oppositis, in quibus sunt æquinoctia, quæ aliud non sunt, quam puncta illa temporis, quibus longitudo diei æquatur nocti. Verum æquinoctium fit sole ingrediente Arietem, autumnale sole ingrediente Libram. 2. Polis suis describit circulos Arcticum & Antarcticum, suaque obliquitate determinat situm Tropicorum seu distantiam ab æquatore, ut dictum, gr. 23. 3. Est causa motus secundi, sive ejus, quo sidera omnia moventur ab occasu ad ortum &c. Porro

Signa Zodiaci

Hypo-

HYPOTH. XXXVII. Sunt 12. his versibus comprehensa, quor. singula singulis mensibus congruunt incipiendo à Martio

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo,
Virgo,
Librāque, Scorpius, Arcitenens, Capri,
Amphora, Pisces.

Ex quibus sex sunt Borealia, & incipiunt à sectione verna hoc est à puncto in quo Ecliptica intersecat Äquatorem, desinuntque in Autuminali sectione, ubi sit æquinoctium Hiemale. Sex reliqua sunt Australia & incipiunt in sectione autunnali, desinuntque in verna. Occasio Eclipticæ ac Zodiaci introducendi in Sphæram fuit motus proprius siderum ab occ. in or. quem observarunt Astronomi fieri in Circulo hoc obliquo, aut in circulis illi parallelis quos sidera describunt, isque motus menstruus vel annuus, vel hyperannuus est juxta majorem minoremque velocitatem motus proprii ejusque sideris, quo contranititur motui i. & diurno. Hoc, quo pacto fiat, ut motibus ferè contrariis idem sidus moveatur, juvari solet imaginatio tironum motu formicæ, quæ in Zodiaco Sphæræ armillaris reptaret lentè versus orientem, dum tu interim totum Zodiacum cum æquatore revolvis versus Occidentem: Debetur autem Zodiaco non solum varietas ortuum & occasuum solis & siderum, sed etiam vicissitudo tempestatum, & juxta Arist. l. 2. de Gen. Generatio omnis & corruptio, quas ille ascribit Circulo obliquo i. e. Eclipticæ, seu verius soli

soli & Planetis per Eclipticam vagantibus. Ceterum

Forma situs & habitudo signorum

HYPOTH. XXXVIII. Quadrupliciter conficeratur ab Astronomis. 1. In quadrangulo Fig. 5. ubi vides longitudinem & latitudinem signi expressam in forma A. quadratâ, quæ est una portio Firmamenti, & sub hac consideratione planeta vel aliud sidus dicitur revera inesse signo, dum sub illo conspicitur, ut sol sub Ariete. 2. Modo consideratur signum in forma Pyramidis quadrilateræ, cuius basis esset prior figura A, vertex verò in Centro Mundi B. 3. Modo consideratur signum, si concipias totam Firmamenti superficiem, cāmque per 6. circulos se invicem in Zodiacointersecantes dividas in partes 12.æquales (quæ & domus cœlestes vocantur) latas gr. 30. (tot enim cuilibet signo competunt) eoque arctiores, quò propiores sunt polo, atque hoc modo etiam stellæ fixæ rectè dicerentur inesse alicui signo. R 4. Modo denique consideratur totum corpus cœleste instar pomi secti in 12. partes, qua sectione omnes orbis & ipse globus Terr-aqueus intersecatur. Harum autem partium five scindarum F. unaquæq; rectè signum appellatur, atque sub hac consideratione non solum Planetæ & cetera sidera, sed quidquid in Mundo est è convexa cœli superficie usque ad centrum terræ in aliquo signo Zodiaci existere dici omnino poterit. Duodenaria autem Zodiaci Circuli partitio inde est, quod hic numerus partes ali-

quo-

quotas habeat quinque, respondentes 12. signorum aspectibus ut 1. Conjunctioni. 2. Oppositioni. 3. Trigono. 4. Quadrato 6. Sextili aspectui. Sunt autem hi 5.

Aspectus signorum

HYPOTH. XXXIX. Radiationes seu habitudines unius ad alterum in determinata distantiâ, in qua apta sunt ad aliquid coëfficiendu. Vide eorum characteres in figurâ 5. Vocantur Syzygiae i. e. conjugationes. Et consummatio quidem est quando Planetæ in eodem Zodiaci signo versantur, uti Luna soli conjungitur in novilunio. Si verò distent gr. 60. *Sextilis* est aspectus si 90. seu Quadrante, *Quadratus* si 120. seu triente *Trigonus*. Oppositio denique fit cum Planetæ 6. signis à se distant, & in gradibus Zodiaci è diametro oppositis cernuntur.

Coluri

HYPOTH. X L. Sunt duo circuli maximi secantes se ad angulos rectos in polis Mundi fig. 4. S quorum unus transit per æquinoctialia puncta, alter per solstitialia. Dicuntur coluri i. e. Imperfetti & mutuli, quod in Sphærâ obliqua nunquam toti appareant. *Colurus æquinoctiorum* T. secat Eclipticam bifariam ad angulos obliquos, quia non transit per polos Zodiaci, tantaque est ejus obliquitas ad Eclipticam, quantum est complementum obliquitatis Eclipticæ ad æquatoriem graduum sc. ferè 66. & 30. ad. 90. Id quod commune est etiam *coluro solstitialium* S. Prior di-

dividit Zodiacum in 6. figura Borealia & Australia, posterior verò in 6. ascendentia & 6. descendētia. *Borealia* sunt sex prima, *Australia* sex reliqua. *Ascendentia* sunt Caper, Amphora, Pisces, Aries, Taurus, Gemini, reliqua *descendentia*, quia sol ab initio Capricorni usque ad finem Geminor. accedit ad polum Borealem. A Cancro autem a^z Australi. Atque hæc de circulis Sphæræ maximis.

Circuli non Maximi

HYPOTH. XLI. Sunt *Tropici* & *Polares*, *Tropici* sunt paralleli æquatoris, sic dicti à *conver-*
sione, quod sol, cùm ad eos pervenerit, convertat
& reflectat cursum versus æquatorem : Eorum
sunt duo ; nimirum *Tropicus Capricorni*, &
Tropicus Cancri,

HYPOTH. XLII. Est circulus descriptus ex Mundi polis, parallelus æquatori, ab eoque distans 23. gr. & 30'. quod Spatium est ipsa *declinatio solis maxima*, seu obliquitas Eclipticæ, tangitque hic circulus Eclipticam in principio *Cancri*, efficitque sole per illud transeunte solstitionem æstivum, seu diem longissimum Borealis, Hemale autem, brevissimum australibus, talis est in fig. 4. Z.

Tropicus Capricorni

HYPOTH. XLIII. Est itidem descriptus circulus ex polis Mundi, parallelus æquatori, à quo tot, qnot alter *Tropicus* distat gradibus. Tangit Eclipticam in principio *Capricorni* à quo, sicut

sicut prior à Cancro, nomen habet. Sole Capricornum subeunte facit diem brevissimum Borealis, australibus longissimum, quo tempore fit Hiemale seu Autumnale Solsticium, quod aliter non est, quam tempus, quo Sol dicta puncta Tropicalia ingreditur, sive, quo maximè deflebit ab æquatore, vocatur Solsticium, quod Sol tunc quasi subsistere videatur, dum insensibiliter, in eodem parallelo movetur nullis ferè spiris, scilicet efformatis perfectis circulis. Fiunt ergo Solsticia ingredientे Sole Cancrum aut Capricornum; nempe circa diem 21. Junii, & Decemb. tribus scilicet diebus ante Nativitatem S. Jo. Baptistæ, & Christi Domini.

Circuli Polares

HYPOTH. XLIV. Sunt omnium in Sphæra minimi distant gr. itidem 23. & 30'. à polis, à quorum vicinitate *Polares* vocantur, prior quidem, qui nobis paret *Arcticus*, posterior, *Antarcticus* appellatur vide utrumque in fig. Atque hi quatuor circuli minores artificiose distinguunt mundum universum & Globum Terraqueum in 5. Zonas, sunt autem

Quinque Zonæ

Apud Cosmographos quasi 5. fasciæ in Sphæræ superficie à dictis 4. circulis terminatæ, earum duæ sunt *Frigida*, duæ *Temperata*, & media *Torrida*. Frigidas Polares Circuli terminant, Temperatas Tropici, quibus clauditur Torrida, cuius tanta est latitudo, quanta Tropicorum inter se di-

se distantia. Falsò credita est inhabitabilis, de quo in Geographia Temperatæ à temperie caloris dictæ sunt, sicut Torrida à nimio æstu. Continentur intra Tropicos & Polares: superior, cùm Boream spectet, *Borealis* vocatur, & complectitur maximam Europæ & Afriæ partem &c. inferior versus Austrum *Australis* Zona appellatur. Frigidæ Zonæ sunt extrema Mundi portio à frigore dictæ scilicet quod sunt à Sole & ejus radiis rectis remotiores. Habitari tamen has ex Naucleris Hollandis & Anglis compertum est. V. fig. 4. Porro quia magnam cum Zonis habent cognationem

Climata,

HYPOTH. XLVI. Sunt ea nihil aliud quam spatia sive in cœlo sive in terra inter duos Äquatoris parallelos circulos comprehensa, qui in Sphaerae cujuslibet superficie describuntur. Latitudo & differentia climatis unius à proximo tantæ est, quanta æstimatione prudentum notabilis est diversitas in maximæ diei artificialis quantitate. Differentia autem semihoræ qua augeatur maximæ diei aut noctis quantitas condigna & sensibilis visa est veteribus portio assignanda cuiuslibet climati, quod nomen suum sortitur à loco celebriori quem transit parallelus cujusvis sunt paralleli transeuntes per Meroen, Syenen, Alexandriam, Rhodum, Romam &c. sunt autem

Paralleli climatum

HYPOTH. XLVII. Alii terminantes climata, & dan-


& dantes uni initium & alteri finem, alii vero
ducuntur per medium clima, seu verius per par-
tē illā qua est differentia diei maximæ excedens
horæ quadrante diem proximi parallelī. Quare
si quodlibet clima tribus parallelis describitur,
rectè numerantur 23. Climata citra æquatorem
ad polum Boreum, & totidem ad austrinum. Ha-
bentur autem tabulæ Climatum passim pro va-
rietate milliarium variæ. Atque hæc e Sphærâ
materiali & globo artefacto. Quod si planam
ejus descriptionem desideres, sit in fig. 8,

Typus Planisphærii,

Est hoc nihil aliud quām corporum cœlestium
transcriptio in planum visualibus radiis ad
ipsum planum perpendicularibus. Ejus hæc con-
structio est

Descriptio circulo fig. 8. eoque diviso in 24.
partes æquales duc rectas orthogonales X Z. E. F.
Circulus repræsentabit Colurum Solstiale,
recta X Z. Colurum æquinoctiale, axim, &
lineam horæ 6. Recta E F. Æquatorem, & Horiz-
ontem. Post hæc ex E. numera grad. 23. & se-
missem usque in M. & R. & ex F. totidem in L. &
N. ac pari modo ex X. & ex Z utrinque. & ductæ
lineæ B C. polarem circulū Arcticum signabunt,
D I Antarcticum. M L. Trop. Cancri. R N. Tro-
picum Capricor. quod si conjungas R & L. per
rectam transeuntem per A habebis lineam Ecli-
pticam, quam sic divides in 12. signa Zodiaci.
Duc rectam ex M. in R. & ex E per M & R. de-
scribe semicirculum, eoque in partes sex æquales

diviso





diviso duc rectas ex singulis sectionibus SS. per Eclipticam R L. quæ dividetur in sex partes inæquales quib^s, si gemina signa appinxeris, habebis divisum Zodiacum. Exactius operaberis, si similē semicirculum ex parte F in L & N. descripseris.

Ut autem horarias etiam lineas planisphærio inscribas, conjunge sectiones Circuli extimi seu coluri per deletiles lineas ipsi X Z parallelos, scilicet O Q. O Q. &c. & secabunt illæ lineam æquinoctialem EF. in partes inæquales, per quas deinde ducendi sunt expressi arcus Elliptici, qui ducendi sunt per tria semper puncta, hoc & per sectionem unam in dicta Ecliptica factam & per puncta X, & Z. Horum arcuum centrum semper invenies in linea æquinoctiali EF, quæ propterea utrinque producenda est, in qua tamdiu removendus, aut producendus est circinus, dum altero pede transeat per dicta tria puncta, scilicet X V Z. id quod usū ipso facilè asssequēris. Descriptis ergo hunc in modum 9. arcubus Ellipticis, adscribe numeros horarios antemeridianos superioribus, pomeridianos inferioribus. Potestque planisphærio huic sic constituto magna pars orbis Geographici inarari.

His autem ita paratis, affigendus est planisphærii puncto A Horizon mobilis K. in fig. 8. quem ita describes. Accipe ex materia solida ære, assere, aut charta densiore planum, in eoque describe circulum æqualem tui Coluro instrumenti, eumque decussatim ductis rectis X Z E F. divide. Semicirculum EZF. dispunge in 18.

partes æquales, ad quas, si radios duxeris ex X. se-
cabunt ij lineam E F. in totidem partes inæqua-
les, quæ est ipsa divisio Horizontis mobilis.
Præterea tamen huic addenda est regula alia,
itidem mobilis, quæ *cursor* appellatur longitu-
dine semidiametri, eodem modo in suos gradus
divisa sicut Horizon, à quo & defundi possunt ex
unâ ejus medietate. Debet autem regula hæc
Horizonti ita esse affixa, ut semper illi maneat
perpendicularis, sive ut T latinum referat quo-
cunque Horizon moveatur.

Vsus instrumenti

Multiplex est; præsertim si dioptriam à tergore
ejus affixeris, descriptoque ibi circulo & in suos
gradus 360 diviso cùm mensibus & signis Zodiaci,
Solis altitudinem notaveris, transmissio
scilicet solari radio per pinnacidia &c. vide fig.
10. Tres tantum praxes in præsenti hæc statuo i.
est, qua deprehendes ad altitudinem poli quam-
cunque, qua hora Sol oriatur quovis anni die, &
qua occidat. Nam detur e. g. altitudo poli 48.
graduum, 20 Aprilis die, quo Sol ferè initium
Cancri ingreditur. Numera à Polo X. in B. 48.
grad. & regulam Horizontalem mobilem sta-
tue supra B, observa deinde punctum; in quo pa-
rallelus DP per initium Tauri incedens Hor-
izontem E F. intersecat tum vide quem arcum Ho-
rarium intersectio dicta I attingat, vel cui pro-
xima sit, & compieries eam proximè attingere
arcum Horæ 5. matut. ac 7. Vespert. Sol igitur
in regione, quâ Polus supra Horizontem non
attol-

attollitur plusquam 48. gradus die April. 20. occidit paulò post horam 5. occumbit verò aliquantò ante 7.

2. Praxis est, qua licet diei quantitatem deprehendere, quam hoc ipso conficies ex praxi superiori. 3. Est, qua planisphærium etiam Horologum efficitur, ostenditque diei horam ex Solis altitudine; si nimirum Horizonte immobili ad datam poli altitudinem collocato inquiras locum Solis ad datum diem v. g. 22. April. in principio Tauri. Quære deinde Solis altitudinem ab Horizonte, quæ sit grad. 18. Hunc eundem gradum 18. quære & nota in Cursore seu regula minore. Prætereà nota quemnam arcum horariorum signet Cursoris parallelus 18. in O, nimis, 7. Mat. & 5. pomerid. in sectione paralleli Tauri. Itaque si tempus antemeridianum est, quo horam observas cognosces instare 7. si pomeridianum, deprehendes 5. aliquantulum jam transiisse. Ad capiendam autem Solis altitudinem non opus est pluribus, quām ut instrumentum, digito liberè suspendas & regulam Dioptræ directè Soli opponas, & tam diu vertas ultro citrōque, dum radius solaris per unum pinnacidi foramen transmissus congruat examinissim alteri foramenti opposito; signabit enim regula dioptræ tunc in limbo planisphærii gradum Solis petitum, si numerare incæperis ab Horizonte recto seu linea E F. sursum versus.

Porrò ad diei longissimæ quantitatem inveniendam, non alio opus est, quām ut Horizon-

tem mobilem colloces ad poli altitudinem regionis tuæ v.g. graduum 48. & 19'. quo posito nota punctum 5. v. g. quo is secat parallelum Cancri; & vide cui arcui Elliptico hæc sectio propinqua sit v. g. Horæ IV. matutinæ, & IIX. vespertinæ: unde conficies diem longissimum esse 16. horarum sub datâ poli altitudine. Solent Uranometræ in areâ hujus planisphærii non solum describere situm Terræ, ut supra monui, sed primarias potius Cœli constellationes; unde & *Astrolabicum* hoc instrumentum appellatum est. Fit autem hæc descriptio ope tabularum astronomicarum, quæ ubique obviæ sunt. Ut habitâ declinatione, & latitudine stellæ aliquujus, ejus locum in planisphærio conformem illi, quem habet in Cælo, examinari enotare possis: v. g. *Aldebaranum*, siue oculum Tauri lucidissimum fidus rectè posueris intra longitudinem tertii gradus & 18' Geminorum, in latitudine verò quindecim gradum 50' minutorum ab Æquatore. Idem senti de aliis stellis primæ saltem magnitudinis (quarum numerantur quindecimi juxta calculum antiquorum Astronomorum, nam R.R. ponunt 16.) reliquæ enim ob multitudinem sine confusione tam exili instrumento inscribi nequeunt, saltem uni; nam alia sunt adhuc generis diversi astrolabia, cujusmodi est Polare, & Æquinoctiale (præsens enim est Orthographicum) de quibus in Optica Astrenomica.

Latitudo sideris alicujus eadem est, ac *declina-*

io ejusdem, quæ aliud non est, quam *distantia*
stella ab Aequatore. Latitudo verò *est distantia ab*
Ecliptica, seu lineâ mediâ ductâ per Zodiacum.
 Quod si stella ab Aequatore vergit in Septentrio-
 nem, vocatur ejus declinatio *Borealis*, si in Au-
 strum, vocatur *Australis*: atque hæc paucis &
 obiter de instrumenti nobilissimi rudi & ideali
 aliqua constructione ac praxi, quæ fusius tra-
 denda est in Opticis.

De Sphæræ dispositione

P R A X I S I.

UT Sphæram rite colloces, noveris priùs ele-
 vationem Aequatoris tuæ regionis, hoc est
 quantum attollatur Aequator circulus supra
 tuum Horizontem: id quod hoc pacto consequē-
 re. Si tempore Aequinoctii observes Solis alti-
 tudinem in Meridie, quod fieri potest ope in-
 strumenti cuiusvis Astronomici, si illo ad Meri-
 dianam lineam disposito Solis in Aequatore exi-
 stentis radium per pinnulas dioptræ exceperis;
 Regula enim per arcum quadrantis extensa desi-
 gnabit gradum elevationis quæsitæ.

Hoc ipsum deprehendes tempore Solstitii, quo
 Solis declinatio ab Aequatore est graduum 23. &
 semis; si totidem in Aestivo quidem Solstitio
 substraxeris, in Hiemali verò addideris.

P R A X . II. Inventâ Elevatione Aequatoris
 complementum illius v. g. ad 90. gradus, dabit
 elevationem Poli id est ostendet quot gradibus

polus attollatur supra tuum Horizontem. Ut si in hac urbe altitudo Æquatoris sit grad. 42. altitudo poli fuerit 48. Atque hæc ipsa vocatur etiam latitudo Geographica, quæ eadem est cum distantia puncti verticalis ab Æquatore.

P R A X. III. Sphæra debet conformari lineæ Meridianæ vel ope acus magneticæ, vel Meridianæ alicujus in plano descriptæ. Sic autem eam describes & invenies. Duc in plano aliquo Horizonti æquidistante circulos duos, trésve ex eodem centro, in quo deinde stylum erigas normaliter. Horis autem ante meridiem ferè duabus observa & nota punctum umbræ, quam projicit apex styli extremus in aliquam ex dictis circulis peripheriam. Id ipsum fac tanto intervallo horarum post meridiem, & nota punctum alterum umbræ priori ferè oppositum. Deinde arcum inter utrumque puctum contentum bifaziam divide, ductâ ex centro circuli linea, & hæc erit meridiana. His præhabitibus

P R A X. IV. Sphæra seu globus lineæ meridianæ ita aptandus est, ut ejus meridianus cum hac linea coincidat, adcoque per hanc cœlesti meridiano conformetur. Quemadmodum etiam polus Sphæræ tuæ polo mundi, Æquatori &c. His ita constitutis polum ipsum Sphæræ tot gradibus erige supra Horizontem materiale, quot tuæ regioni competere antè cognovisti. Et Sphæra seu globus erit rectè constitutus. Hoc enim ritu totam cœli terræque faciem expones; poterisque i, varias mundi plagas affignare

gnare & distinguere. 2. Dignoscere & indicare ventos in Horizonte descriptos. 3. Solis altitudinem meridianam ad datam quamcunque diem deprehendere ; si modò locum seu gradum Solis in Ecliptica ad Meridianum arcum Sphæræ circumductum applicueris ; nam ex illo punto, si gradus in Æquatore usque ad Horizontem numeraveris, habebis arcus Solis diurnos, deprehendesque dierum longitudinem & inæqualitatem, initium & finem crepusculi &c. Crepusculum autem non est aliud , quām dubia lux Solis infra Horizontem 18. gradibus depresso. Id, si manè fiat, antequam Sol oriatur, *aurora* vocatur , si vesperi Sole jam infra Horizontem delapso *crepusculum* simpliciter appellatur. Quare si partem Zodiaci , in qua Sol existit, infra Horizontem in Sphæra demiseris grad. 18. tunc index horarius in polo globi constitutus indicabit tibi horam quæsitam inchoantis crepusculi, finientis verò, si ex opposito exexeris.

PRAX. V. Ope globi terrestris, scire poteris quænam hora sit ubi vis gentium. Nam 1. noviris horam regionum illarum , quæ sunt sub tuo Meridiano immobili dicti instrumenti , & indicem horariorum appone ad talem horam v. g. septimam. Quod si deinde circumvolueris globum , Meridianus immobilis notabit tibi regiones illas ipsas quibus tunc sit hora septima , quæ ab indice Horario designatur. In quibus omnibus praxibus , quia suppono homini sub eodem Meridiano quiescenti semper

diem naturalem esse horarum 24. (tanto enīma
spatio opus est, ut Sol ad idem Meridiani pun-
ctum regrediatur) ideo

P R A X. VI. Paradoxorum non est afferere
quod iter facienti in Orientem brevior sit dies,
quam 24. horarum : nam Sol prius est futurus
in eo Meridiano, in quo ipsi occurret viator,
quam in illo, unde is discessit. Contrarium
tamen accedit iter faciendi versus Occidentem,
qui diem habet longiorem, quam 24. horarum,
siquidem Sol antea perveniet ad Meridianum, à
quo abiit, quam ad viatorem Occidentalem. Ex
quo ipso principio

P R A X. VII. Adynaton non est duas naves
ex eodem portu solventes alteram quidem in O-
rientem, in Occidentem alteram, in aliqua tan-
dem Mundi parte concurere, unōque integro
die inter se differre. Item geminos fratres si-
mul natos, simul obire, quorum tamen alter
plures numerārit vitæ dies altero, & si quæ sunt
alia hujusmodi, quæ non tam distinctionis proble-
matis, quam usū ipso & practica globi exhibi-
tione facilè à quovis condiscuntur. Atque hæc
de orbe Cosmographicō, seu Sphæra Mundi,
quem Græci *Macrocosmum* hoc est, magnum, ap-
pellant ad distinctionem minoris, qualis est *mi-
crocosmus*, sive Homo, qui non tam similis est
majori, quam ipsi ejus opifici, DEO O. M. qui
propterea *Mundus archetypus* appellatur; quod
ad ejus similitudinem Mundus uterque sensibi-
lis sit formatus. Quarē Joannes de sacro Bosco

Sphæ-

Sphæram ipsam contendit pulcherrimam mortalibus speciem exhibere sui Creatoris, utpote: qui cuncta superno (uti Boet. canit 3. de Conf.)

Dicit ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse

Mundum mente gerens, similique in imagine formans.

in eundem sensum loquitur Astrologus ille Hermes Ægyptius ter maximus, seu Trismegistus: tota, inquit, Mundi conspiratio, & rerum pulcherrimus ordo contemplandi DEI suggestit mascotiam: est enim Orbis velut Liber Divinitate plenus, & speculum pulcherrimum DEI &c.

Deum ergo in tam pulchra sui imagine eò contemplabimus desiderantiùs, quò speciosior suo est opere, eò intelligemus verius, quò nobis penitior est, eò fruēmur solidius, quò liquidior & delitiosior ejus usus est & communicatio, cui

**SOLI & MATRI ejus ter amabili sit
HONOR SEMPITERNUS,**

Perornatis & Perdoctis Dominis Orbem
Cosmographicum defendantibus
Sub auspiciis
Reverendissimi Perillustris & Amplissimi
DOMINI DOMINI
DIONYSII
IMPERIALIS PRÆLATI
WETTENHUSANI.

Herculei pugiles ! queis Terra concurbita,
Cælum
Est pilæ. Semideum que nova monstra virum ?
Vos Orbem dociles iactare, refixaque Cælo
Astra per exscriptos cogitis ire cyclos.
Ne vos Empyrei soboles divina Promethei,
Insolitâ Samium vincitis arte senem.
Quis tantis animos ausis ? Num signa dedere,
Quæ Cosmographicas figitis ante fores ?
Imò dedere. Dionistii sunt Præsulis illæ,
Cuius laus Suevæ replet odora plaga.
Alter hic Antistes par Graco est. Qualis Athenis
Astrologus, Vates, Mystra, Sophusque fuit.
At lapidi florem cur iunxit nobile scutum ?
Bis quatuor geminis Pyramidesque rosis ?
Astrologum ter acuta notant, Vatémque trigona,
At flores Patrem, pacificumque Ducem.
Omne tulit punctum, qui miscuit Utile Dulci.
Pyramides signant Utile, Dulce rosea.
Felix auspicium tam fusi nominis. O ! ut
Astronomos pariat mille DIONYSIOS !

-ccinuere D.D. Condiscipulis

EISDEM

Sub Eiusdem Perillustribus in-
signibus certantibus Athletis
Mathematicis.

Quid luteam specularis humum? quid sife-
raspectas?

Tam procul à Sphæra si speculator abes?
Orbibus in torques Orbes, spherasque reducis
E Sphæris, novus & Circus ab orbe venit.
Interea fluitant horæ, fugiuntque quadrantes,
Sphæra tamen stabilis, pro! tibi nulla do-
mi est

Tempora dant Circos, Æternis Orbibus
Orbes

Nectimus; una tamen Sphæra DEVS
procul est.

Astronomos heu! nos miseros, quos devius
Error

Toto sejungit dissociatque Polo.

Astrologus melior Dionysius edocet artem.

In SOLO fixa est cui sua Sphæra DEO.

accinere

Prænob. D. Joann. Bartholomæus
Weikman Schneckenhofen,
&

Ignatius Gugler Philosophiæ, Ethici-
æ, & Mathema- r. Studiofi.

EISDEM
D. D. DEFENDENTIBUS


Orbem Universi Divinitatis Sym-
bolum propugnatibus.

RAra Syracusii risit miracula fabri
Et stupuit vitreos Jupiter ipse globos.
Vestrum majus opus, quantô stat mole minore,
Vester Athlantæ major in arte labor.
Nenpe sub exiguo vos Mundum clauditis
Orbe
Immensem puncto colligitisq; DEUM.

Honoris & contubernii, ac
communium studiorum ergo
gratulabundi cecinere

Joan. Casparus Böck, AA. LL.
& Philosophiæ Baccalaureus.
Et Bartholomæus König Philo-
sophiæ Moralis, Naturalis &
Mathematicæ Studiosi.

Omnia ad maiorem DEI, DEIPARÆ
& S. JOSEPHI Gloriæ.



Orbis clavis. Divinitus syne-

bolam propagatam.

Tuus genitrix misericordia fabri-

Rum est tuus natus habens ueritatem.

Plebs tuus optet, quod te laetatur.

Felix dilecta & major in artis labora-

re natus sed exigua nos Alembicus claudit.

Ora

Immanum pueris colligimus DEI filium.

Memor ut cunctis annis,

et anniversariis studiorum & glori-

ficiorum vecindarum

Joan. Calixtus Rock, A.M.

& Paul. Cyprianus Baschalich.

Eccl. Bartholomaei, Eccl. Koenig Philo-

ippini, Melch., Thaddei &

Mathieusque Studiorum.

Omnis ad maiorem DEI DEIPARAB.

Ad Iacobini gloriam.





